

Franckesche Stiftungen zu Halle

Salomonis, Regum hominumque, peccati labe laborantium, sapientissimi, Proverbia & Ecclesiastes

Breithaupt, Joachim Just

Magdeburgi, 1717

VD18 11104074

Caput Trigesimum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216270

TRACTATIONIS SPECIA- LIORIS PARS TERTIA:

COMPREHENDENS SENTENTIAS UNIUS CAPITIS,
PROLATAS AB AGURE.

CAPUT TRIGESIMUM.

Spiritualis sapientiæ compos, nullam aliam sibi temerè arrogat. 1, 2. Omnipotentis Dei, & Filii Dei, cognitio, fons salutis æternæ. 3, 4. Salutis conferenda medium, indubitatum est Dei verbum, recipiendum fiduciâ, in DEO unice collocanda: nec tamen Scripturæ Canonicæ addendum quidquam. 5, 6. Precibus petenda veritas, vanitas avertenda. 7, 8, 9. Lingua abusus, abutenti noxius. 10. Detestandum genus hominum: quod erga parentes ingratum est: quod videri vult parum, nec se purgat: quod affectat sublimis: quod ferit in miseros. 11. -- 14. In hoc mundo, & corruptio, & generatio, inexplabilis: documentum, & lapsus, & spei. 15, 16. Ut veneranda, naturæ mirabilia: ita abominanda, filiorum pertinacia. 17. Mystéria regni Dei illustrantur figuris eximiis rerum terrestrium. 18. -- 20. Divini iudicii specimina, remotius sequuntur causas meritorias: neque proximas excludunt causas occasionales, morales aut physicas. 21. -- 23. Eminent in minimis maximus ipse DEUS. 24. -- 28. In externis quoque, animantium viribus, dona Dei admiranda. 29. -- 31. Nec proposito malo, nec indignationi, insistendum unquam. 32, 33.

Dicta sequuntur Agur, Vatis doctrina: Jakæo
Qui genitore satus. Vir tam divinus, amicis
Bb Re-

PARALLELISMUS CAPITIS XXX.

(q) XXXI, 1. (r) VI, 34. a prius,

- Respondens; Ithielem, Ithielem Uchalemque docebat.
2. Nam, quid ego verbis mea pluribus ora resolvam?
Atque equidem fateor: multò dementior ' adsum,
Quàm decet esse virum; mihi nec præstantia mentis',
Primo homini quæ prima fuit, soli insita: postquam
Hunc lapsum nôsse, & nimium meminisse, necesse est.
3. Non didici Sapientis Opus^u; satis una superque,
Heu! serpentis erat jactantia caussa malorum:
Sed, tantùm mihi scire datum est, quæ mystica Sanctis.
4. Quæso, quis ascendit coelum, remeansque per astra
Descen-

(s) VIII, 4, 5. XII, 1. GREGORIUS Nazianz. Orat. 29. Optârim, idem mihi contingere, quod Salomoni: hoc est, ut de Deo nihil meum ac proprium, vel cogitem, vel loquar. Nam, cum his verbis utitur: Stultissimus sum omnium hominum, & prudentia hominis non est in me! haudquaquam scilicet hac eò dicit, quòd stoliditatis se ipsum condemnet, qui enim istud; quum eam præ aliis omnibus rebus à DEO postulâset, ac sapientiam & contemplationem, & cordis latitudinem, arenâ maris uberio-rem atque copiosorem, accepisset? Qui fit igitur, ut vir usque adeò sapiens, atque hujusmodi beneficium consequutus, omnium stultissimum se appellet? Hoc vult nimirum; propriam se nullam prudentiam habere, sed divinâ & perfectiori sapientiâ afflari. Siquidem & Paulus, cum agebat; vivo autem, non jam ego, vivit autem in me Christus; non utique de se ipso, tanquam de mortuo loquebatur, sed tanquam de eo, qui præstantiorem, quàm vulgus mortalium solcat, vitam ageret, utpote qui veræ vitæ, nulloq; mortis sine circumscriptæ, particeps esset. (t) I, 2. d. (u) I, 2. b. 20. LACTANTIUS de Fals. Relig. l. III, c. 6. Ubi ergò sapientia est? ut neque te omnia scire putes, quod Dei est: neque, omnia nescire, quod pe cudis. Est enim aliquid medium, quod sit hominis: id est, scientia cum ignoratione conjuncta & temperata.

Descendit *? quisnam luctantia praelia Venti,
 Immanesque animos, tempestatesque sonoras*,
 Imperio premit, ac manuum^y comprehendit habenis?
 Ecquis aquas fluidas in vestimenta^z ligavit
 Humida? quis terræ fines communiit omnes^a?
 Dic mihi, si nôris^b, tanto quod Numine dignum
 Sit nomen: Gnatusque Patrem quo nomine red-
 dat^c,

Quo veniat tandem mundi melioris Origo?

Bb 2

5. Omnis

(x) I, 12. 4. Job. III, 8. 13. (y) XXVII, 16. Eccl. IV, 6. (z) Ps. CII, 27.
 (a) VIII, 29. Act. XVII, 26. (b) Job. XVII, 3. (c) VIII, 22. 32. (c)
 AUGUSTINUS, epist. XLIX, qu. 5. De eo, quod DEUS habeat Filium,
 apud Salomonem Sapientia loquens, ait c. VIII. Ante omnes colles ge-
 nuit me. Et, quid est Christus, nisi Dei Sapientia? Item c. XXX. Deus, in-
 quit, docuit me sapientiam, & scientiam sanctorum cognovi. Quis
 ascendit in cælum, & descendit? Quis collegit ventos in sinum?
 Quis convertit aquam in vestimento? Quis tenuit fines terræ? Quod
 nomen est ei, aut quod nomen est filii ejus? Horum duorum, quæ in
 extremo commemoravi, unum retulit ad Patrem: id est, quod nomen est
 ei? propter quod dixerat: Deus docuit me sapientiam. Et alterum
 evidenter ad Filium, cum ait: Aut quod nomen est Filii ejus? Propter ca-
 tera, quæ de Filio magis intelliguntur, hoc est: Quis ascendit in cælum,
 & descendit? Quod Paulus ita commemorat: Qui descendit, ipse est,
 qui ascendit super omnes cælos. Quis collegit ventos in sinum?
 id est, animas credentium in occultum & secretum. Quibus dicitur: Mor-
 tui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.
 Quis convertit aquam in vestimento? ut dici posset: Quotquot in
 Christum baptizati estis, Christum induistis. Quis tenuit fines
 terræ? Qui dixit discipulis suis: Eritis mihi testes in Hierusalem, &
 in totâ Judæâ, & Samariâ, & usque in fines terræ.

5. Omnis sermo Dei, sincerus ^d: ut igne metallum
Purgatum ^d est. Clypei ^e tutamen Is Ipse quibusvis
Permanet omnipotens, si in Se spes ^f ponitur uno.
6. Tu nihil adde sacris effatis: conscius Autor
Ne te mentitum ^g stringente redarguat ^h irâ.
7. A Te, bina, Pater! precibus qui flecteris, oro:
Quæ mihi ne abnueris ^k, dum vita caduca superstes.
8. Omnia vana, dolum ac mendacia ^l, rejice prorsus
In longinqua ^l à me: nec, paupertatis ^m iniquum
Extremæ, da ⁿ, ferre jugum; vel, pondus opimæ
Fortunæ nimium; Tibi dum servire laboro ⁿ.
Nutrimenta ^o peto, rerum pro sorte ^p mearum:
9. Hæc modò! ne, si sim justo plus auctus ^q, aberrans
Teque tuosque negem, dicamque: quis, ecce, JEHOVA?
Neve

(d) XXV, 4. Ps. XII, 7. XVIII, 31. CXIX, 140. (e) II, 7. *k* med. Gen. XV, 1.
(f) inf. 30. III, 5. l. (g) XIX, 9. 22. XXI, 28. (h) III, 12. (i) XX, 4. t.
(k) III, 27. x ult. (l) XIII, 5. g. (l) conf. XXXI, 10. (m) VI, 11. e.
(n) X, 22. XXII, 2. Eccl. V, 19. VI, 2. (n) BASILIUS, lib. Regul. qu. 20.
Quid sapientissimus vir Salomo? Divitias & paupertatem ne dederis
mihi, inquit; sed tribue tantum victui meo necessaria, ne fortè re-
pletus, mendax efficiar, & dicam: quis me videt? aut egestate
compulsus, furer, & perjurem nomen Dei mei. Sic ille divitias, sa-
turitatem; egestatem verò, summam rerum ad vitam necessariorum inopiam,
definit: nimirum ex eo, quod dicit necessaria, medium quid inter egesta-
tem & abundantiam rerum ad usum necessariorum, declarans. &c. (o)
XXVII, 27. XXXI, 15. (p) VIII, 29. XXXI, 15. (q) inf. 15, 16. 22. XXV,
16, 17. XXVIII, 19.

- Neve ego, factus egens ^r, furer ^s, divinaque prensẽm ^s
 Nomina; flagitio, ac diro damnandus abusu ^t!
10. Parce odiis erga quemvis; neque crimine servum
 Defer ^u apud dominum infensus: te quippe vocarit
 Infandum meritò, atque reum vulgãrit habendũ ^x.
11. Pars hominum, mala quæque suo canere ^r, ausa,
 parenti;
12. Nec potiora ^z, suæ matri. pars, munda ^a videri
 Ipsa suis oculis ^b; sordes licet abluere atras
13. Abneget. elato quàm insurgere lumina vultu ^c
 Pars jubet, impatiens dejecti tegmina ^dvisũs!
14. Pars, acuunt strictos animi irritamine dentes,
 Non secus ac gladios ^e; cultrosque ut cote, molares:
 Tanta his incessit rabies, sævo ore vorandi ^f
 E terrâ miseros ^g, & egenos ^h gentis ab ulnis!
15. Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo,

Bb 3

Pro-

(r) XX, 13. s. (s) VI, 30. (s) inf. 28. (t) XV, 27. (u) conf. 11. XX, 20. h. XXVI, 2. (x) Eccl. VII, 21. (y) vid. 10. & 17. ATHANASIUS, de Synodis; hoc transfert iustissimè in Arianos, qui Ecclesie Patrum primævorum honorem & suam salutem propinantes, haud metuunt illud, quod in Proverbiis scriptum: Mala soboles patrem execratur! & eas minas, quæ adversus ejusmodi homines in lege reperiuntur. (z) XXVII, 14. (a) XV, 26. e. XX, 9. (b) III, 7. p. (c) VI, 17. XXI, 4. XXIV, 7. (d) IV, 25. (e) XII, 18. XXV, 18. XXVI, 22. (f) conf. 17. I, 12. 31. XV III, 21, x prius, (g) III, 34. g. XV, 15. n. XXII, 22. (h) XIV, 31. i.

Progeniem secum geminatam habet: *Affer*, & *Afferi*.
 Quin tria sunt, quæ non satiantur: *Suffice*, pergunt;
 Duc age, duc ad nos! *Opulentia*^k *sufficit*; ipsa
 Quattuor^l (exhausti satis est!) non addere possunt.
 16. Tales sunt fauces Acherontis^m, sive sepulchri^m;
 Occlusique uteri: paribus sitit arida tellus,
 Quæ tota Oceanum absorbens, cœlique ruinas,
 Quærit aquas in aquis per inexsaturabile corpus.
 Attamen ignis, edax magis est: plus plusque cre-
 mando

Poscens, in plenis queritur jejunia sylvis.
 Isne usquam expletus clamabit? *Copia*ⁿ! donec
 Indignatus humi thesaurum absumserit omnem,

Æter-

(i) *conf. inf. 18, 21, 29. VI, 16. (i) sup. 9, 9. & 16. V, 10, 9. XII, 11. (k) conf. 16, 1, 13, b. (l) Idiotismus idem infra 18, 21, 29. VI, 16. Am. I, 5. (m) AUGUSTINUS, de Salutaribus documentis c. 30. Avarus vir inferno est similis: infernus enim quantoscunque devoraverit, nunquam dicit; satis est! Sic, etsi omnes thesauri confluerint in avarum, nunquam satiabitur. [m] XXVII, 20. CYRILLUS Alexandr. in Habacuc II, 5. Verè mors & infernus nunquam satiantur. Et verum est, pro voluntate Babylonii Regis, omnes gentes sub ejus imperium fuisse congregatas. Unde hujuscemodi mala haud immerito Assyriae ambitionis crimina reputantur. Parvus enim erat illis terrarum orbis, nec omnium nationum servitute contenti fuissent. Cerni autem potest & ipse peccati inventor, hoc est, Satan, totam terram, ut verbo complectar, sub se redigere anniti, & ceu infernus devorare eos, qui ejus perversis molitionibus intereunt. Est enim bellua inexplabilis, & indomita, & superbia plena, detestanda reverè, & imbuta odio hominum. [n] vid. 15, k.*

- Æternam invadens, flammâ superante, Gehennam.
 17. Si quis acerba minans oculusⁿ, fidoque satori,
 Hortandique piæ genitrici, illuserit^o; illum
 Torrentis corvi effodient, volucrumque magistræ
 Ore ferent dulcem nidis immitibus escam^o!
 18. Tres naturæ iterum vix mente accessero partes;
 Seu potius, quatuor: quartæ quia noxius obstat
 Corrupta usque adeò circum præcordia sanguis,
 19. Nulla ut eam ratio tangat. Via^p in aëre summo
 Quàm mira est, aquilam^r & coelorum ad culmina ve-
 ctans,

Intentata aliis avibus! via flexilis anguis^r,
 Rapta super rupem! via nautica, gurgite in alto,
 Cor pelagi^r irritans! sed enim, via fortis Adami;
 Virginis^u auxilium sectans, & virginis ossa,
 Agnoscens, propria esse viri^x; cœlestia spirat^y.

20. Quàm

(n) VI, 17. a. (o) XI, 12. b. (o) Ad 17. conf. sup. II. X, 1. z. (p) I, 15. e. (q) XXIII, 5. (r) XXIII, 32. z. Eccl. X, 11. (s) V, 19. XXIII, 34. b. (t) VI, 34. a. prius. (u) Cant. I, 3. VI, 8. Ps. LXVIII, 26. Es. VII, 14. Gen. XXIV, 43. Ex. II, 8. (x) Gen. II, 23. III, 24. Eph. V, 30, 31, 32. (y) AMBROSIIUS, lib. de Sal. c. I. docet, Salomonem hic vaticinari de CHRISTO. c. II. viam aquilæ volantis, esse Christi Domini advenientis ad terram, ac redeuntis ad cælos. c. III. petram esse, Christi carnem, nullâ serpentis inimici iniquitate respersam, in quâ peccati alicujus vestigium non apparuit. c. IV. Navem, notare Ecclesiam, sub tot periculis hoc in seculo haud obnoxiam naufragio. c. V. Et. Virum, esse Dominum, patrantem miracula in juventute; seu potius, in Ecclesia Novi Testamenti, virgine: [conf. EUSEBIUS Hist. Eccl. I. IV.

20. Quàm turpe illud iter contrà, quod adultera^a tendit,
Et tegit! hæc comedit, sua furta^a abscondere certans,
Osque suum tergens, dicit: non egi^a ego pravum^a.
21. Terra tribus quatitur: bis bina, haud sustinet un-
quam.

- Quot, quanti & quales non emersere tumultûs,
22. Ob fervi^c imperium, nunc libera colla domantis!
23. Nabalemque^d, cibus saturatum^e! propter amicam
Plus nimio invisam, domino si ducta marita est!
Ancillamque, suæ dominæ si evaserit hæres!
24. Admiranda etiam, levium spectacula rerum
Orbis habet totidem: namque, hæc documenta So-
phix

- Incluta doctorum curas prævertere cultu,
25. Conspicit omnis homo. Populus, non viribus ingens,
Formicæ^f: tamen hæc magnos, sub sole labores
Fervente exercent, hyemi que alimenta reponunt.
26. Molle, sodalitis stipante, cuniculus, æque
Est genus; invalidus^g populus, spectandus in antris
Laude incredibili: per nulla quidem arma, sed artem
Inna-

c. 22.] quibus miraculis opponuntur hypocrisicos furia, quibus Satana
astu se corrumpunt denuò Christiani. 2. Cor. XI, 2, 3. (z) VI, 24. k. VII.
10. & c. (a) V, 3. IX, 17. XX, 17. c. (b) X, 29. XXI, 5. (c) XIX, 10.
XXVIII, 3. Eccl. X, 7. (d) inf. 32. XVII, 7, 21. (e) sup. 9. V, 16. (f) VI, 6.
(g) conf. 25. VII, 26. XVIII, 18.

- Innatam, rigidis sub cautibus, inque cavernis,
 Excoluisse domum, ac posuisse cubilia, gaudet.
27. Regis cura, apibus quæ multa, est nulla ^b locustis ^b:
 Nec minùs interea justum hæ glomerantur in agmen;
 Concordesque ineunt turmam, atque exire laborant;
 Quæque suo distincta loco, velut acta sagitta ^k.
28. Ingeniosa suis quæ prendit, aranea, fila
 Suspendit manibus, textitque: nec, improba, casses
 Aularum in foribus celat.
29. Tria protinus illa
 Gressibus^m excelluntⁿ: pulchrumque quaterna mea-
 tum
30. Expediunt. Leo^o, ceu confidentissimus heros^p,

Cc

Ar-

(h) VI, 7. Matth. III, 4. (i) GEIERUS, è BASILII hom. VIII. Quo
 pacto tibi militias exercitusq; locustæ terribiles enarravero? qua velut agmi-
 ne facto sub una tesserâ, in sublime universa simul elata, castris toto latè
 positis agro, non antea sanè fructus depascitur, quàm ipsi fuerit id à Deo
 concessum atque mandatum. (k) conf. XX, 17. d. (l) suprâ 9. s post. (m) IV,
 12. e. (n) XVII, 22. s. (o) XIX, 12. u. (p) XVI, 31, XXI, 22. XXVIII, 1. Eccl. IX,
 11. e. (q) III, 31. c. AUGUSTINUS, contra Faustum l. XII. c. 42. in Gen. XLIX.
 Catulus leonis Juda de germinatione filius meus ascendisti, recumbens dormisti
 ut leo, & ut catulus leonis; quis suscitabit eum? Obscura sint ista, si
 non in Christo evidentissimâ luce claruerunt: si non eum laudant fra-
 tres ejus apostoli, & omnes coheredes ejus, non suam gloriam quaren-
 tes, sed ipsius: si non sunt manus ejus super dorsa inimicorum ejus:
 si non deprimuntur atque curvantur ad terram, crescentibus populis Chri-
 stianis, quicumque illi adhuc adversantur: si non eum adoraverunt filii

- Armenti omne pecus subigit: neque territus ullo
 Obtutu is stupet, aut retrò formidine cedit.
31. Venatorque canis, lumbos qui robore firmat;
 Transmittitque simul campos, simul arripit hostem:
 Hircus item, ductor, surgens in cornua totus.
 Ante homines verò, longè rex^r emicat altâ
 Majestate suâ; cui nemo impunè repugnat^r.
32. Tu si aliquid stulti^r, sufflatus inanibus auris,
 Fortè effinxisti^r; insidiis, ratus, affore vires:
 Proposito desiste, memorque os comprime dextrâ^x!
33. Lac capis, uberibus pressis; è lacte butyrum:
 At, malè pressato naso^x, cruor inde sequetur;
 Eliciensque iras^x, litem^r producet iniquam.

TRA-

*Jacob in reliquiis, quæ per electionem gratia salva factæ sunt: si non ipse
 catulus est leonis, qui nascendo parvulus factus est; propter hoc additum, de
 germinatione filius meus. Causa quippe redditæ est, quare catulus, in cu-
 jus laude alibi scriptum est; Catulus leonis fortior jumentis, hoc est, etiam
 parvulus fortior majoribus: si non ascendit in cruce recumbens, cum incli-
 nato capite reddidit spiritum: si non dormivit ut leo, quia & in ipsa morte
 non est victus, sed vicit; & ut catulus leonis, inde enim mortuus, unde
 & natus: si non ille eum suscitavit à mortuis, quem nemo hominum vidit,
 nec videre potest. Eo enim, quod dictum est, Quis suscitabit eum?
 satis expressa est tanquam ignoti significatio. Sc. (r) sup. 22, 27, 28.
 VIII, 15. r. (s) conf. XII, 28. (t) sup. 23. d. (u) XXI, 27. r.
 XXIV, 8, 9. (x) Antanactasis, ut XXIV, 10, Eccl. VII, 7, conf. VI, 34. z.
 XII, 16. f. (y) III, 30. z. sec.*